

186
D. SALOMO CONSTANTINVS
T I T I V S

ANAT. ET BOTAN. PROF. PUBL. ORD.

H. T.

ORDINIS MEDICORVM

EX - DECANVS

ET

ACADEMIAE RECTOR

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

D. 27. OCTOBR. 1797.

PUBLICE HABENDAM

INDICIT

P R A E M I S S A

PROLUSIONIS MEDICO - POLITICAE
de clysterum tabacinarum in asphyticis usu,
PARTE POSTERIORE.

ESTOMO COSENATIUS

B V I T I T

C E O C E S A R E A M A T O R I U M

U N

C O S E N A T U R I U M

E S T O M O

A G V D E M I A E H E C T O R

C E S A R E A M A T O R I U M

A G V D E M I A E H E C T O R


U N

A G V D E M I A E H E C T O R

E S T O M O C O S E N A T U R I U M

C E S A R E A M A T O R I U M

Herbam nicotianam venenata quadam vi pollere, in primis sy-
stema neroosum obstupefaciendo afficere, quotidiana compre-
hensione habemus experientia. Plantae enim illae quamdiu in agris cre-
scunt, adeo fortiter exhalant, odoremque maxime ingratum, narco-
ticum emittunt, ut homines irritabiliores, capitis dolore, lassitudine,
pondere totius corporis, afficiantur. Quae vis, licet in planta recen-
ti, succis plena, praecipue sese exferat, non omnis tamen in herba
siccata et artificiose praeparata, cessare videtur. Hanc assertione
exempla eorum, qui inassueti fumo tabaci vtuntur, confirmant. Ple-
rumque isti de anxietate, sensuum obnubilatione, stupideitate, nau-
sea, vomitu, conqueruntur. Idem quoque illis accidit, qui diutius
in atmosphaera, fumo tabaci admodum impregnata, versantur. As-
sueti vero nil fere incommodi ex vsu fumi tabacini, per fistulam hau-
sti, experiri solent. Si vero ventriculo per saliuam aut decocti, aut
fumi forma, tabacum ingeratur, mox nausea atque vomitus oriuntur.
Quod intestinorum canali, cui fumus tabaci immissus fuerit, accidere,
necessarium videtur. Experientia vero hic theorie plane repugnat.
Relictis enim huius generis exemplis, quae passim apud Auctores ob-
servationum medicarum occurunt, solummodo Acta Societatum Am-
stelodamensis, Parisiensis et Londinensis, qui inter prima officia, re-
fuscationem apparenter mortuorum sibi proposuerant, commemo-
remus, in quibus insignis numerus exemplorum continetur, vbi saluta-
res horum enematum effectus certissime fuerunt comprobati. D. HA-
WES (l.c. et in SCHERF's Beiträgen zum Archive etc. B. 6. Samml. 2. p. 12f.)
testimonia plurium medicorum et chirurgorum in Anglia collegit, qui
longa experientia edocet, optimum de huius remedii salubritate tule-
runt



runt iudicium. In Actis Londinensibus exempla huius methodi, per viginti pene annos ad vitam apparenter mortuorum reuocandam, adhibitae, enarrantur, inter quae ne vllum quidem occurrit, vbi noxam attulerit. (ib. p. 21.) Quin plura ibidem legimus eorum exempla, qui aliis subsidiis vitam excitandi, incassum adhibitis, solo fumo tabaci restituvi fuerunt, (BEAUMONT teste, D. HAWES l. c. p. 24.) nec usus eiusdem continuatus, nec maior herbae copia ad fumum parandum adhibita, vllum peperit detrimentum. Francogalli quidem fumum tabaci primo intestinis per horae quadrantem ope clystinate, dein ori nasoque, tandemque denuo intestino recto, optimo cum effectu, immittunt. Inter omnes forte scriptores, solus fere COLEMANN (l. c. p. 165.) experimento cum fele, aqua immersa, innixus, vim clysteris ex fumo tabaci, temere improbare, studuit. Aperto enim huius animalis modo submersi thorace, cor fortiter movebatur, clystere vero tabaci applicato, eiusdem motus successive immunitus est, tandemque euanuit. Unicum vero hoc tentamen nimis omnino complicatum est, quam ut eiusdem effectus ex solo clystinate iure repeti possit. Verisimile omnino est, cordis irritabilitatem, thorace aperto, absque fumi tabacini applicatione, tandem cessasse. Quia ergo ratione, tum vis tabaci narcotica, aliis argumentis comprobata, tum salutaris eiusdem in asphyxia usus, exemplis confirmata, conciliari, atque lis componi possit; periculum iam nobis faciendum est.

Duplicem medicamentorum sopientium vim esse, diligentiora experientia hac in re instituta, docuerunt. Initio stimulum, mox stuporem, soporemque afferunt. Vtrumque vero effectum eodem tempore evenire, ita ut fibra muscularis irritetur, nervi sopiantur, quidam falso crediderunt. Irritationem potius vehementiorem, maior reactio, tandemque debilitas cum sopore, sequitur. Qui phaenomenorum ordo optime exemplo opii, omnibus noto, illustratur. Eadem quoque ratio est tabaci. Fumus eiusdem intestino recto immissus, solutionem alui, interdum repeatim, ori vero vel ventriculo admotus, nauseam, vomititionem, vomitum efficit. Continuato nunc eiusdem usu vehementiores accedunt convulsiones, qui debilitatem

maio-

maiorum; interdum plenaria vis vitalis imminutionem induunt. Hinc quoque PREVINAIRE (*Abhandl. von den verschied. Arten des Scheintodes, a. d. Franz. von B. G. SCHREGER, pag. 307 sq.*) in clysinatum huius generis applicatione, quando signa vitae redeuntes fuerint observata, cessandum statuit. Attamen vim irritandi in herba nicotiana per siccationem, atque artificiosam praeparationem, imminutum esse, omnino putamus. Crebrioribus enim observationibus constat, narcoticas herbarum vires maximas, plantis recentibus inesse, per exsiccationem vero ex parte periire, interdum plane deleri. Fieri quoque non posset, quin effectus narcotici in vsu tabaci ad aluum reserandam longe fortiores crebrioresque forent, quam reuera obseruantur. Propter hanc vero vim tabaci sapientem D. KITE (*I. c. p. 151.*) aliisque, fumum ex herbis aromaticis, speciebus menthae, chamomilla, commendarunt, quibus superficie canalis intestinalis lene irritamentum, nullo subsequente stupore, applicaretur. Merito autem, experimentis sat claris desituti, dubitamus, num irritamentum ope harum herbarum sat forte obtineatur, quale tabacum nobis largitur. Virtus saltem clysterum tabacinorum in obstitutionibus aluinis pertinacissimis referandis, qua omnibus reliquis enematibus aromaticis longe praferendi est, hanc nostram sententiam confirmat. Reliquis quoque herbis aromaticis, tabacum oleo empyreumatico, odore forti et nervis inimico, atque sale volatili, longe praefstat, in quibus ipsis vis irritandi latet. Eo vero fortior, intensiorque stimulus ad vitam excitandam requiritur, quo magis vitae vires, per diuturniorem caussae morbiticae actionem, vel per debilitatem corporis naturalem, aut aliis de causis inductam, oppressae sunt. Ad quod in iudicio de tabaci effigibus in asphyxia ferendo, probe respicendum esse, moneo. In irritabilitate oppressa, longe fortiori opus habemus stimulo, quam in statu sano. Reactio longe tunc debilior, atque per fortius quoque irritamentum, debilitas longe tardius inducitur, viresque minus subito concidunt. Nihil enim tunc vires vitae oppressae sunt, quam ut reactio vehementiori irritamento respondeat, tandemque stupor atque sopor, per reactionem continuatam, inducatur.

Prae-

Praeter vim vero irritandi ad calorem quoque fluidum aërisforme, cum tabaci fumo iunctum, probe attendendum est. Calor enim nervis blandus, partes leniter souet, spasmos in canali intestinorum praesentes soluit. Externae corporis superficie in asphycticis calorem cum fructu admouemus; quae methodus ex D. KITII iudicio (l. c. pag. 127 sq.) in cura asphycticorum minime negligenda est. Calore vires vitae egregie excitantur, atque ad reactionem solicitantur. Fumus contra, canalem intestinorum simul extendit, angustiores intestinorum meatus optime perrepit, magis sese dispergit, atque vim irritantem tabaci auget. Decoctum herbae huius vix hunc praestaret effectum. Parum tamen fumus tum calore, tum expansione efficeret, nill vis tabaci irritans accederet.

Hoc ergo stimulo canalis intestinorum expanditur, vellicatur, ad fortius contractionem incitat, atque propter arcum cum aliis partibus vinculum, istae in consensem trahuntur. Organa quidem respirationis, septum transversum, ipsaque vasa maiora mechanica quadam, propter loci vicinitatem, ratione afficiuntur. Nervorum vero ope aliae quoque partes, vel remotissimae, simul commouentur. (G. TARGIONI TOZZETTI Raccolta di teorie, osservazioni e regole per prontamente dissipare le Affissioni &c. Firenz. 1773. pag. 143 sq.) Omnis enim in asphyxiis indicatio curatoria eo praecipue reddit, ut nervi, quorum actio suppressa est, excitentur, actio cordis maiorumque vasorum acceleretur, respiratio restituatur.

Momenta vero, quibus causam clysmatum ex fumo tabaci hucusque defendere studiavimus, potiora omnino sunt, quibus alia, leviora, iam addere non lubet. Subsistamus in his argumentis, cum officium nobis iniungat, vt


CANDIDATVM NOSTRVM,
CAROLVM FRIDERICVM FISCHERVM,
STREHLA - MISNICVM,

in Lectorum conspectum producamus, ipsisque, quae de vita Sua nobis exhibuit, proponamus.

Ego,

■ ■ ■

Ego, CAROLVS FRIDERICVS FISCHER, natus sum Strehlae, in provincia Misnenſi, ao. 1774. Patre, CHRISTOPHORO CONRADO FISCHERO; Matre, IOANNA DOROTHEA SOPHIA, e gente MÜLLERIANA; quorum Parentum optimorum vitam, qua adhuc fruuntur, summis Dei benefiis annuero. Ex aedibus paternis, religionis christianaæ praeceptis imbutus, anno aetatis decimo quarto Liebenverdam missus sum ad MÜLLEVM, Chirurgum dexterum, apud quem tirochiniū per tres annos sustinui. Quo transacto Dresdā adii, Chirurgiam ac Medicinam ulterius excolendi cauſa, ibique Praeceptores nactus sum sequentes: Exp. HANELIVM, cuius memoria pluribus de causis ac officiis grato animo infixæ est, in Anatomia; Exp. DEMIANI in Therapia speciali; Exp. TITIVM in Materia medica; Chirurgiam theoreticam practicanque mihi exposuit Celeb. WILDE, Chirurgus exercituum Saxonorum supremus. Corpora mortua apte dissecandi artem, in Theatro anatomico, Clar. OHLE, atque HEDENVS, nunc Prosector, tradiderunt; Artis obſtetriciae praecepta grata mente debo Cel. WEISSIO, artis suae magistro exercitatissimo. Anno 1792. munere Chirugi militaris in cohorte tormentaria Boruffica, per bellum Polonicum, functus sum. A dysenteria, cui fere succubuisse, cum vires mirum in modum debilitatæ essent, cohortem, in patriam redditurus, reliqui. Anno 1794. ergo examen pro praxi chirurgica apud Exper. TITIVM, illo tempore Facult. medicae Decanum, sustinui, Liebenverdae Chirurgiam facturus, sed mutato consilio, per unum et dimidium annum, Riße, oppido prope Strehlam, Chirurgiam exercui. Anno 1796. Vitebergam redii, antea iam Excell. HENRICI, Rectore, ciuibus academicis adscriptus, ibique scholas Praeceptorum Experientissimorum Amplissimorumque, mihi gratissimo sem-



semper animo colendorum, diligenter frequentauit. Therapiam et gene-
ralem et specialem Exp. BOEHMERO; Physiologiam, Pathologiam et Chirur-
giam Exp. KREYSIGIO; Pharmaciam, Chemiam, Botanicam, Physiologiam,
Anatomiam corporum recentium, Medicinam forensim, Magnif. TITIO debo,
Curſui quoque omni anatomico a Cl. VOGT, in Theatro anatomico Proſectore,
proposito, hucusque interfuit.

Ita praeparatus nuper examen consuetum apud Ordinem nostrum
subiit, dignusque iudicatus est, qui altiores Artis salutaris honores
peteret. Quo consilio futuro die Veneris d. 27. Octobr. Dissertationem
Inauguralem: *de Dysenteria*, cuius Ipse Auctor est, Praefidio Viri
Experientissimi, Grauissimi, D. GEORGII RUDOLPHI BOEHMERI, The-
rapiae Prof. Publ. Ord. Fautoris et Collegae Coniunctissimi, publice
defendet. Hunc ergo diem Candidato Nostro solemnem, ut EX-
RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PROCERES
VTRIVSQUE REIPUBLICAE, COMMILITONES GENERO-
SISSIMI, PRAENOBILISSIMI, OMNESQVE STUDIOVM
NOSTRORVM FAVTORES, fauore atque frequentia ornare velint,
etiam atque etiam rogamus. P. P. Vitebergae, 19. p. Trinit. 1797.

LITERIS TZSCHIEDRICHII.

Wittenberg, Diss., Ergbd. 8, 1797-1801



vol18

f

70-200
86.



186

D. SALOMO CONSTANTINVS
T I T I V S
ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL. ORD.
H. T.
ORDINIS MEDICORVM
EX - DECANVS
ET
ACADEMIAE RECTOR

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM

D. 27. OCTOBR. 1797.

P V B L I C E H A B E N D A M

I N D I C I T

F R A E M I S S A

PROLUSIONIS MEDICO - POLITICAE

de clysterum tabacinarum in asphydlicis usu,

P A R T E P O S T E R I O R E.

